DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

VARIOLIS INSITIVIS.

8

DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE VARIOLIS INSITIVIS.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

GULIELMUS CALDER,

BRITANNUS.

Soc. Phyſ. Edin. Sodalis.

O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint. VIRG.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M.DCC.LXXXVI.

Viro, moribus ſuaviſſimis,

GULIELMO AUGUSTO CUNNINGHAM,

EQUITI BARONETTO,

SENATORI BRITANNICO,

Ob ſtudium ejus,

De comitatus Linlithguenſis felicitate,

De patriae libertate et ſplendore,

Indefeſſum,

Hocce ſummae obſervantiae

Monumentum

Conſecrat

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

VARIOLIS INSITIVIS.

HOMO non prius in mundum venit, quam dira morborum cohors vitae infenſa imminet. Horum nonnulli, quippe qui originem ducunt ab ipſius foetus rudimentis, corpori ſunt ingeniti: Accedunt alii quorum cauſas comperire non poſſumus; aliique a ſubtili contagione oriuntur, aegrotum ſubito e medio ſublaturi, tum ae-

tatis tum virium immemores. Hujus generis variolae ſunt, quae, prae morbis caeteris contagioſis, qui in hac regione vulgo graſſantur, terrorem populo incutiunt; nec ſane mirum, quoniam tam horrendam ſtragem edere ſolent.

Medici, a tempore uſque quo hic morbus ſe primum oſtendit, variis modis et remediis, vel progredienti occurrere vel delenire vim fuerunt conati: Diu autem fruſtra; nullis enim modis, aut remediis etiam praepollentibus, levari videbatur, ſed, peſtis inſtar, parti ſextae, immo etiam tertiae, eorum quos eſt aggreſſus, lethalis evaſit.

Tandem, ſpe prope amiſſa, egregium excogitatum eſt inventum, quod ejus ſymptomata mitigando optimos effectus praeſtitit, ſcilicet, contagione ab uno in alterum transferenda, cui nomen Variolarum Insitionis eſt inditum, quodque, utpote humano generi utiliſſimum, ſummam attentionem et curam medici haud dubie jure ſibi vindicat.

Quando

Quando aut ubinam hic morbus fuerit ſubortus non hic quaerere opus eſt; quoniam apud omnes fere haud antiquis notum, inque regionibus orientalibus primum extitiſſe, convenit. Primus omnium Rhazes, uti tradunt ſcriptores, in Arabia medicus, rationem ejus perſpicuam accuratamque in lucem edidit; et ibidem fuiſſe initio admodum veriſimile eſt; nam potiſſimum apud Saracenſes, illius regionis incolas, ſaeviiſſe, et inde, eorum creſcente imperio, multos in locos eſſe tranſlatum, quibus antea ignotus, ac tandem, poſt bellum adverſus Saracenſes geſtum ad Sanctam Terram recuperandam, ipſam Europam longe lateque peragraſſe, reperimus. Hac contagione peſtifera adeo pervulgata, eadem, ut credere fas eſſet, per omnes regiones terrae brevi tranſduceretur; quod profecto bellis commerciiſque gentium ita factum eſt, ut non ſolum omnem regionem, omne vero domicilium, infeſtat.

Haec res de Variolis Inſitivis, quam agere ſtatui, tam multa complectitur, ut de

ea

ea plene ac fuſe diſſerere limites hujuſmodi opuſculi longe excederet: Qua ratione igitur tantum liceat pauca dicere de ſequentibus ſingulis, et haec quidem quam breviſſime potero:

I. De hominis delectu cui haec operatio conveniat.

II. De aetate ejus.

III. De tempeſtate anni.

IV. De praeparatu ante materiam inſitam.

V. De materiae delectu.

VI. De ipſa operatione.

VII. De infectionis progreſſu.

VIII. De ſymptomatum explicatione.

IX. De prognoſi; ac denique,

X. De ratione medendi.

I. *De*

I. *De hominis Delectu cui haec Operatio conveniat.*

SI mihi quemlibet eligendi facultas eſſet cui variolae inſerantur, eos aliis anteponerem quibus nec debile, nec robuſtum, nec plethoricum, ſed ab his aeque amotum, corpus eſt, quique nec morbo, nec in morbum proclivitate, laborant. Quibus autem irritabile, ut et mulieres gravidas, aut ſub menſtruorum tempus, nec non vermibus in tubo alimentario, inque primis viis cruditatibus, vexatos, omnes ſimul abjudicarem. Quid velit autem medicus ſaepe fieri non poſſit: Adeo enim laceſſunt parentes, ſimul et urget variolarum epidemicarum ſaevitia, vel quidam morbus fortaſſe chronicus, ut quoniam tam mature tum conſulto tum facto opus ſit, omnia caute ac prudenter perpendere, ac quid tutius quid rectius videatur, ſtatuere, facere, decet.

Quoniam

Quoniam nihil ad oeconomiam animalem attinens tam parum perſpectum eſt, quam diverſae diverſorum corporum temperies, etſi quidem hoc ſummi momenti eſt ad morbos tum praecavendos tum curandos, et quoniam hoc a ſola experientia propria accurataque obſervatione colligendum, quae perſaepe ambiguae, ideoque fallaces ſunt, nemo, quamvis rei medicae peritiſſimus, variolas ei, pro certo, diſtinctas et confluentes fore, cui valetudo etiam praeſtantiſſima, praedicere audeat. Non dubitandum quin quaedam corporis temperies ad morbum magis malignum efficiendum ſpectent: Quaenam vero ſunt iſtae non adhuc compertum. Quin et quoſdam morbos extare conſtat, qui, ſiquando adſunt, variolarum ſymptomata graviter adaugent: Attamen hi quoque, utpote multum obſcuritate involuti, obſervatione accuratiore poſthac melius ſunt dignoſcendi. Sentit Cullenus doctiſſ. qui hunc effectum praeſtant, eos febrilis eſſe generis, malave qualia febrilem ſtatum inducere vel augere

gere queant. Hici dem in praelectionibus publicis puerum memorat, quem, variolis inſitis, interim decem vel plura aperta ulcera ſcrophuloſa in partibus corporis diverſis infeſtabant, et nihilominus eidem eruptio erat mitis et diſtincta, quae amiciſſime ad maturitatem provenit. Necnon juveni alteri narrat, quatuordecim vel quindecim annos nato, cui in corpore paſſim inerat eruptio albida ſquamoſa, tamen, inſitis variolis, omnia demum fauſte ac feliciter eveniſſe. Ipſe equidem ſaepenumero pueros conſpexi pſora laborantes, variolarumque infectione ſimul tactos, quibus nonnullis hae ſpecie miti et diſtincta acceſſerunt, laborantibus ſpecie maligna et confluente aliis, haud ſecus ac qui morbo prorſus immunes eſſe viderentur. Idcirco, quoniam et corporis temperiei, et morborum, qui variolis aut favent aut officiunt, adeo ſumus ignari, inſitionem communi contagioni nunquam non anteponendam, quis dubitet? Et ſi ita epidemice graſſantur, ut vitari nequeant, vix ullis morbis praeſentibus hercle, me judice,

judice, medicus a praxe tam utili et ſalutari deterreri debet, quodcunque cadat, variolas ſatius eſſe ab inſitione quam contagione proficiſci, non vana fide adductus.

II. *De Ætate.*

SIQUANDO penes medicum eſt quodlibet ſtadium vitae eligere, id certe ab anno ſecundo ad pubertatem uſque maxime convenit. Pueri, qui ſecundum annum non attigere, multum irritabilitate corporis ſunt praediti, et quo natu minores, eo haec adeſt inſignior; ita quidem ut irritatio, undeunde nata fuerit, leviſſima motus convulſivos ſaepe excitat: Praeterea, variis malis obnoxii ſunt, huic aetati infantili modo propriis, quae millibus exitioſa evertant, nullo variolarum auxilio. Inter hoc tempus accedit dentitio, pueris adeo periculoſa, nec raro funeſta, cui ſaepe adſunt paroxiſmi convulſivi, qui eo certiores quo tenerior aetas, magiſque intolerandi ſaeviunt. Quos

Quos, etiamſi ſolers Sydenhamus habebat ſymptomata non infauſta, magis tamen credere adducor, per ſe non parum periculi afferre, ſaepe vires adeo deterendo, ut nequidem per reliquum vitae ſpatium unquam ſat fuerunt redintegratae, et interdum etiam praeſentes aegrotum valde confectum e medio ſuſtulerunt. Quinetiam, ſi adſunt ulla ſymptomata quae periculum indicant, atque ope egent medica, infans imbecillus, quae medicamenta plurimum prodeſſent nec ferre valet, nec quae ſaporem minime ingratum efficiunt, quiſquam ut recipiat impetret.

Haec multaque infelicia alia, quae hic loci non memorare fas ſit, prius a variolarum inſitione quam ad hanc aetatem perventum eſt, utplurimum dehortantur: Quae omnia magis attentione digna ſecum reputanti, pueros per hoc omne tempus, utpote ſub tutela curae maternae, contagioni parum obnoxios eſſe, facile videbuntur.

Necnon abunde conſtat, variolarum inſitionem nunquam eſſe, ob has quae ſequun-

tur cauſas, in pubertatis annos differendam. Jam primum omnium totum corpus firmitatem tenſionemque adquirit, et plerumque diatheſis inflammatoria, quae variolis mitibus laborantibus infauſta habetur, magis ſaevire incipit. Inſuper, poſtquam eo pervenit, multis variiſque debilitatis cauſis, quae antehac nullae erant, opportunum corpus eſt; quales libido, intemperantia, vigiliae, cura, anxietas, moeror atque timor, quae ſane, uti probat experientia, contagioni magnopere miniſtrant vires, morbique omne ſymptoma futuri aggravant.

Notat Cullenus noſter, quod variolae, ſiquis contagione non multo poſt Bacchum vel Venerem immodicam tactus ſit, haud dubie admodum malignae erunt.

Homines quibus accedunt variolae, poſtquam aetatem pubertatis attigere, de ſe multo magis quam antehac ſollicitis vexantur curis; non ſolum quia corpus extinctum fore, diraque quae ſe poſtmodum ferre ſupplicia fata ſtatuere velint, etiam

vero,

vero, ſiquidem ſuperſtites iterum ad ſanitatem redigantur, vires fractas faciemque foedatam pertimeſcant. Libera perſpiratio et copioſa ad variolas lenes et faciles reddendas multum conducit; et quoniam a Sanctorii obſervatis, ſatis liquet pathemata animi deprimentia, qualia moeror, anxietas, timorque, non ad illam tantum, ſed alias quoque excretiones corporis minuendas ſpectare, ea, hanc ob cauſam, hoc morbo laborantibus manifeſte injuriae ſunt.

Poſtremo, qui aetate adulta ſunt, ii inter morbum multo magis, quam natu minores, inhabiles, et, ut obſervarunt omnes fere medici, febris quae apud illos eruptioni adeſt, ea plerumque violentior, frequentiores puſtulae, ac denique majus periculum.

Quoniam igitur tempus eſt annum vitae ſecundum inter et pubertatem, quo homines minime morbis, cauſiſve quae eos inducere queant, obnoxii eſſe videntur, id variolis inſerendis idoneum et aptiſſimum nemo eſt qui dubitet.

III.

III. *De tempeſtate Anni.*

QUÆ tempeſtas anni huic operationi ita conveniat ut ipſe morbus inde mitior evadat, ea apud hujus rei peritos ſemper magni momenti res habita eſt. Itaque, cum nobiſcum reputamus, quod, calore admodum aucto, omne variolarum ſymptoma ingraveſcit, quid magis monere decet eum aeſtivis menſibus quam maxime eſſe vitandum? Haud profecto in inſula Britannica hoc conſilio opus eſt; hic enim nunquam tam torret aeſtus, quin aegrotus ſat refrigeratus eſſe poſſit, nec cujuſquam temporis ea ſaevitia eſt, quae inſitione variolarum medicum prohibere debet. Hoc ſolum, ut opinor, cavendum, ne ſiat, ullo epidemice graſſante in vicinia morbo, dummodo differri poſſit, ſine ullo contagionis variolarum diſcrimine. Quod tamen, ſi tuto fieri nequit, omni tempeſtate, aeque ac his rebus ita ſe

habentibus,

habentibus, variolas inſerere idoneum ſit, ſiquidem memoria teneatur quod, quo haec magis adverſa, eo magis operam dare omni cauſae, quae morbum graviorem redderet, occurrendae neceſſe erit.

IV. *De praeparatu ante Materiam inſitam.*

MULTI credidere, et uſque adhuc nonnulli putant, quod variolas inſitivas mites efficit, id prae aliis praeparatum eſſe; ideoque per aliquod tempus, omnibus pariter, ante materiam variolarum inſitam, quoddam diaetae et medicamentorum regimen injungunt. Attamen, nulla hujuſmodi, uti reor, praecepta, a quibus non ſaepe peſſima oriuntur, tradi poſſunt.

Plerique hujus regionis incolae, quippe qui in eandem opinionem concedunt, inepte ſecum et pernicioſe quidem cogitant, variolarum inſitionem, cum pueris, priuſquam acceſſerit contagio variolarum communis, purgantia adminiſtrantur, tum prorſus inanem

nem fore, morbumque tam ſine ea quam aliter mitem evaſurum. Itaque, ſimulac variolae ſemet in vicinia oſtenderunt, liberis ſuis doſes alicujus purgantis iterum iterumque repetitas exhibent, donec, uti ſieri ſolet, eo pervenerit, ut inſignis debilitas, ac praeſertim ſi antea imbecilli tenerique fuiſſent, inducitur: Quam ob cauſam, tandem pro eos ita praeparando ut variolae mites eveniant, confluentibus ſane et malignis opportuniores reddunt. Haec praxis primum apud Suttones invaluiſſe videtur, qui idem diaetae et medicamentorum genus, ſine diſcrimine omnibus, eorum quae cuique propria eſſent nil curae habentes, praecipere ſolebant: Caeterum, me judice, utpote periculoſiſſimum, repudiari debet.

Quatenus, ante variolas inſitas, cujus generis cunque praeparatus, ad eas mites reddendas ſpectet, aut revera an hujuſmodi aliquid poſſit, admodum incertum eſt; nec magis in aprico eſt quaenam corporis temperies eum exigunt, quaeve medicamenta corpus plurimum variando talem effectum

praeſtare

praeſtare queant. Hoc quidem Boerhaavius mercurium et ſtibium facere poſſe exiſtimabat, uti in aphoriſmo ſuo 1392. legimus. ‘ In ſtibio et mercurio,’ ait ille vir eruditiſſimus, ‘ ad magnam penetrabilitatem arte deductis, nec tamen ſalina acrimonia nimium corroſivis, ſed bene unitis, ut quaeramus incitat aliquis horum aliquando ſucceſſus.’ Mihi autem videtur, ea nihil hujuſmodi habere, niſi, ſiquando opus ſit, quid poſſint eorum vires laxantes et diaphoreticae; etenim nunc ab omnibus fere obſervatum fuit, tam mites, ſaepeque mitiores certe variolas eſſe, cum hic medicamentorum praeparatus defuit.

Nil dubium eſt quin, multis in caſibus, aliquis tum diaetae tum medicamentorum praeparatus perutilis, imo omnino ſit neceſſarius: Veruntamen, a ſupra memoratis, quae proclivitati ad putredinem, iiſque quae febrilem augeant vel inducant ſtatum, occurrant, ea eſſe viderentur; enimvero haec ſola variolis vim addere veriſimillimum eſt.

Si

Si homo corpore ſit pleno, plethorico, morbiſque inflammatoriis obnoxio, ei ſolum regimen antiphlogiſticum adminiſtrari debet. Simul et omni genere animalis victus, iiſque quibus qualitas ineſt calefaciens et ſtimulans, prohibeatur; neque forſan purgans refrigerans, quo magis tollatur plethora, unum vel alterum inutile ſit. At contra, ſi corporis conditio a quavis cauſa laxata et debilitata ſit, id, non tantum nutriente diaeta firmare ac munire, ſed etiam medicamentis roborantibus, multum intereſt: Eo enim melius ſe et variolarum liberet viro vimque ſuſtineat.

Haec, ut opinor, praecipue attentionem merentur antequam contagio hominem attigerit. Huic conſilio accommodatam Dr Dimſdale regulam eximiam praeſcripſit, ſcilicet, eum a valetudine, cui ſumma eſt, ad conditionem corporis tutiorem demittere; id vero, ſi antea nimis demiſſum ſit, firmare; quid vitiatum videatur corrigere; et ventriculo atque viſceribus, quantum fieri

eri poſſit, omnes cruditates eorumque effectus adimere.

V. *De Materiae delectu.*

SEMPER apud medicos addubitatum eſt, numne variolarum materia a homine deſumpta alio morbo ſimul conflictante, una ſecum eum quoque allatura ſit. De hoc certiores experientia nondum facti ſumus: Verum admodum veriſimile eſſe duco, omnes contagioſi generis hac ratione morbos ab uno in alium trajici poſſe, ideoque materiam potius quaerere, ubi hi nulli ſunt, monere vellem. Nil tamen, quantum cognovi, obſtat quin ea plerumque a homine morbo haereditario vexato ſeligatur; namque hic, judicio noſtro, utpote haud dubie a quadam conformatione corporis primaria pendens, transferri nequit.

Nemo nunc ignorat variolas, vel mites vel malignas, non a materia contagioſa inſita, ſed ipſius conditione pendere corpo-

ris: Nec profecto cur aliud putemus quicquid eſt, ſi et has et illas unum eundemque eſſe morbum, inter ſe tantum differre vi, et a contagione ſpecifica proficiſci, quae ipſa nullam ſubire mutationem poſſe videretur, adhibeamus. Hoc non ſolum a conjectura deducendum, ſed indies obſervatione confirmatur: Quoties enim variolas diſtinctas et confluentes ſemet invicem producere videmus? Variolarum materia, uti nonnulli ſunt rati, ad morbum edendum, ſi e puſtulis modo formatis deſumitur, quia tum acrior magiſque fluida, efficacior erit. At experientia ſat compertum eſt, quod huic conſilio non minus materia, quovis morbi ſtadio deſumpta, a quo primum formantur puſtulae uſquedum aridae receſſerint, et ipſae quidem cruſtae, accommodantur. Nihilominus, quoniam et aegroto et medico facilius ſit, tum hoc, cum ad vel maturitatem prope puſtulae pervenerint, facere mallem.

Monet Dr Dimſdale, praeſtantiſſimum eſſe, ſiquidem commodum ſit, variolas ab uno in alterum trajicere eodem in cubiculo. Atqui non poſſum quin hoc, utpote hunc adhuc intactum communi contagioni opportunum reddens, quae morbum non parum aggravat, inconſulte ac temere fore credam: Itaque id, quantum poteſt, nunquam non vitare conamur. Et cur, cum inde nil boni ſperare licet, aegrotum in diſcrimen mitteremus? Cur, quaeſo, tale facinus auderemus, praecipue quoniam bene notum eſt, vim materiae variolarum contagioſam aeque ad morbum creandum, poſtquam non modo materia dies, ſed menſes, ſervata fuit, ac quando forma recente et fluida admota, valere.

Quo optime ac commodiſſime capiatur et ſervetur materia modus eſt, puſtulam aperire ſcalpello, inque mucrone parvam illius portionem colligere, quae, ſi exareſcere ſit permiſſa, excluſo poſtmodum aëre, diu vim contagioſam retinebit. Eam nonnulli vaſe vitreo accurate incluſam, quod,

quod, uti reor, peridoneum, recondere juſſerunt: Plerique autem putreſcere vimque ſuam amittere exiſtimant.

VI. *De ipſa Operatione.*

A TEMPORE uſque quo haec praxis variolas ab uno in alterum transferendi primum inventa, multos modos diverſos, quibus efficacius trajicerentur, excogitarunt et exercuerunt medici: Quorum de multis, quippe qui non modo dolorem, poſtea autem multum incommodi, ſaepeque moleſtiam, inſignem inflammationem, et interdum ulcera foeda et curatione difficilia excitando, afferunt, operae fuſius dicere non eſt; eoque magis quo eos abolevit uſus, praeſertim in hac regione, et quia propter crudelitatem inutilem repudiari debent.

Quoniam experientia abunde probatum eſt, portionem materiae variolarum minimam, quo modo cunque corpori illatam, plerumque morbum in iis producere poſſe quibus

quibus antea ignotus; qui modus ſimpliciſſimus, ſimul et, utpote parum doloris vel incommodi, aut inter aut poſt morbum, aegroto afferens, feliciſſimus ſit, is certe, ſiquidem talis inveniri poſſit, aliis anteponendus; et, ni fallor, hic qui apud noſmetipſos valet idem eſt.

Medicus ſecum habeat complura ſcalpella, prout eorum ſit numerus quibus variolas inſerere velit, materia variolarum tincta; utique ea ſemper aridae cruſtae in ſcalpelli acie formam induit, mollior magiſque fluida reddi debet, ſuper vapore aquae ferventis ſuſpenſa. Inde oblique introducatur ſcalpellum cuticulam inter cutemque veram in parte illa brachii ubi muſculus deltoidus humero inſeritur; et quo magis materia ab acie ſecreta fluidis commiſceantur, eam idoneum erit vel inter cutem unam et alteram agitare, vel, digito parti admoto, ita ſcalpellum tollere ut ab eo materia deterſa in caeſura, quae adeo levis ſit, ut nullus inde mittatur ſanguis, retineri poſſit. Ad hoc munere rite fungendum,

dum, uno tantum parvo vulnere opus eſt: Caeterum, ut nulli in dubio ſit morbum eſſe acceſſurum, duae, quod tuto fiat, in utroque brachio, vel, quid fortaſſe ſatius, duae eodem in brachio, unciam quaſi inter ſe diſtantes, infligantur. Hic modus plerumque ad variolas transferendas, cum ſimplex medicoque commodus tum maxime efficax eſt.

Parvae cicatrices nec emplaſtra, nec faſcias, nec cujuſcunque generis amictum deſiderant. Si, ut fieri ſolet, paullum ſanguinis effunditur, eum in ipſa parte exareſcere idoneum ſit, quia, ſi aliter fieret, una ſimul materia contagioſa detergeretur.

VII. *De Infectionis progreſſu.*

Medici progreſſum notare infectionis, variaſque quas vulnus parvulum ſpecies exhibet, a quo primum inflictum ad eruptionem uſque finitam, ut plurimum intereſt;

reſt; namque, ut inde prognoſin futuri morbi quodammodo colligere poſſit, ei vel quaedam mala quae inciderent delenire, vel iis etiam occurrere, facultas eſt. Hoc autem agendi conſilio, nec emplaſtra, nec cujus generis cunque amictus, parti adhibenda; etenim haec omnem cognitionem hujuſmodi valde incertam reddunt.

Vix aliquid ſpecies vulneris, quantum percipi poteſt, intra 36 vel 40 horas poſtquam inflictum eſt mutatur. Hoc tempore elapſo, cuticula circa caeſuram quodammodo contrahi videtur, et decoloratio levis ſe accurate inquirenti, ac praeſertim ope microſcopica, oſtendit. Eadem die tertio et quarto evidentius conſpiciuntur, vulnuſque parvulum nunc ſuper cutem circumjacentem eminet. Admoto digito tactu durum eſt, atque ibidem aegrotus pruritum inuſitatum perſentit.

Cum dies quintus pervenit, inflammatio et durities magnopere auctae ſunt, et tenuem, ſeri lactis inſtar, fluidum caeſurae in vertice formatum. Nunc ingratum ſenſum

ſum aculeatum circa partem inflammatam, vaſorum lymphaticorum axillam verſus tractum ſequentem, aegrotus quaeritur. Haec vaſa adeo nonnunquam inflammatione, ab acrimonia materiae variolarum orta, amplificantur, ut plane ad glandulas axillares prope, quibus nunc accedunt dolor et tumor, uſque porrecta ſentiri poſſint. Die ſexto et ſeptimo, tumor et inflammatio brachii quam ſtips, Anglice *a ſhilling*, dicta, tam vel amplius quidem lati, aut colore admodum florido, inque medio veſicula ſpeciem ei quam edere ſolet uſtio haud diſſimilem refert.

Plerumque die octavo, ſi accurate vulnus ope microſcopii examinetur, puſtularum confluentium numerus undique in marginibus inflammatis obſervantur: Ægroti praeter ſolitum hebeſcunt oculi, ipſe languidus evadit, malumque ſaporem conqueritur. Quin et halitus odorem maxime ingratum emittit. Quae febris eruptioni adeſſe ſolet, ea cum languore et laſſitudine, algore, viciſſim et calore, vertigine, capitis

capitis et dorſi dolore, nauſea, et interdum vomitu, calore totius corporis aucto, ac pulſu frequente validoque accedit. Haec magis minuſve ſymptomata tres quaſi dies manent, et inde prorſus ſere, paucis eruptis in variis partibus corporis puſtulis, recedere ſolent. Plerumque haec eruptio tres quatuorve poſt dies finita eſt, ac paullatim puſtulae majores et quadam materia turgidae evadunt, quae, poſtquam ad maturitatem pervenerint, ſpiſſa atque ſubflava eſt. Mox corrugari incipiunt; quo facto areſcunt, et cruſtulis demum excidunt, veſtigia ſui perraro relinquentes.

Hac ratione aggredi variolae ſolent inſitae. Interdum autem, quamvis raro, ſpecies induunt alias: Etenim modo adeo cito contagio valet, ut etiam die poſt inſitionem ſecundo, inflammatio circa caeſuram non parum inſignis ſubeſt; modo adeo lente accedit, ut vix aliqua contagionis ſymptomata ad quintum ſextumve uſque poſt diem obſervari poſſint; quod cum ita ſit, eo diuturnior morbus erit. Omnia febris quae

eruptioni adeſt ſymptomata quandoquidem magnopere ingraveſcunt, ſimul ut plurimum ſtratis viribus. Nonnunquam ſtatim ante eruptionem factam, infantes paroxiſmis epilepticis, qui magis minuſve, pro corporis ſenſilitate et irritabilitate, ſaeviunt, raro tamen periculoſi evertunt, corripiuntur. Praeterea, ſub eruptionis initium, in partibus corporis diverſis incidit effloreſcentia eryſipelatoſa, nec multo poſt evaneſcit. Aliis temporibus, una cum eruptione variolarum fit quoque alia, variolis confluentibus conſimilis, et ab iis initio non facile ſecernenda. Puſtulae aliquando, poſt quoddam tempus, modo graviter pruriunt, repente collabuntur, inque ſua contrahuntur baſe, et denique, pro florido, colorem pallidum et ſublividum aſſumunt ; modo inter eas paſſim maculae ſubrubrae, lividae, ſitae ſunt. Interdum nullam praeter partem in qua inſeritur contagio afficit. Quando hoc ſine ullo axillae dolore vel tumore, aut ullis febrilibus ſupra memoratis ſymptomatis evenit, vix cur dubitemus contagionem

non

non corpus pervaſiſſe, ideoque operationem iterum peragendam, quicquid eſt. Complura ſymptomata anomala occurrere poſſunt alia: Quae autem jam memoravimus, haec certe ſummi momenti ſunt.

VIII. *De Symptomatum explicatione.*

QUÆ contagionis variolarum natura ſit, haud ſecus ac omnis contagionis ſpeciei, adhuc tenebris obruta; et, quamvis homines ſummo ingenio explicare conati ſunt, hoc ſolum dicere, generis ſpecialis eſſe, eundemque morbum omnibus eo tactis inferre, potuerunt.

Poſtquam materiae variolarum portio in brachium fuit recepta, in partis quam tangit nervoſas papillas validiſſime agit qualitate ejus acri ſtimulante, et ſic ibi vaſorum actionem excitat, et inflammationem producit, quae ad fluida ejus ita convertenda, ut morbum alii transferant, cui fluida corporis

poris non ejuſmodi mutationem ſubiere, neceſſaria eſt. Hac inflammatione aucta, lympha, ut in omnibus inflammationibus ſolet, cum ad certum gradum adventum eſt, effunditur. Cujus contagioſae cum quantitas in vaſa abſorbentia fuerit ſuſcepta, in maſſam inde ſanguinis ingeritur, inque iis natura ejus acri et irritante tumorem tenſionemque efficit. Verum haec in glandulis axillaribus inſigniora adſunt, quia, ut veriſimile videtur, eas non tam libera permeans ibi diutius permanſerit. Nunc virus, cum maſſam ſanguinis attigit, magnae univerſorum fluidorum corporis quantitati naturam ſibi propriam impertit, vel ſui generis fermentatione, vel quodam modo alio nobis inexplicabili. Utut vero ſit, ſatis conſtat febrem excitari, cujus ope, a fluidis corporis puris et intaminatis ſecretum, quamprimum natum expellatur, et illam irritatione nervoſi generis excitari, admodum probabile eſt.

Plerumque

Plerumque tempus, quo materia variolarum inſita fuit, idque quo totum corpus contagione tactum, dies octo interſunt. Nec hoc mirandum, cum nobiſcum reputamus primum omnium virus in nervos ubi inſeritur agere, dein eos ita actionem vaſorum augere, ut producantur inflammatio et lymphae effuſio, quae haud dubie ex aliqua parte abſorpta in maſſam ſanguinis ingeritur. Caeterum obſervatum eſt, nonnullos quam alii poſt variolas inſitas citius affici. Quomodo hoc fiat certe luculentum eſt: Quibus enim corpus maxime irritabile eſt, in iis facilius inflammatio viro excitabitur, et effuſa etiam celerius lympha, latius ideo brevi contagio diffundetur.

Qui aliquando infantes adoriuntur paroxyſmi epileptici ab eodem variolarum viro, in eorum teneros nervos agente, proficiſcuntur. Itaque, quibus maxime irritabile et debile corpus eſt, paroxyſmis convulſivis reperimus prae aliis opportunos. Irritatio a vermibus in tubo alimentario vel

dentitione

dentitione orta, eos vel inducant, vel inducere opem praebeant.

Quae interdum fit eruptio, ea fortuito incidere, et ab acrimonia, quae antea fluidis inerat, a variolis longe alia, pendere videtur.

Puſtulae quantitate variolarum viri in cute haerentis, et cui una cum perſpiratione libere exire facultas non eſt, producuntur, et quo gravior obſtructio, eo puſtularum major numerus: Nam in ſententiam noſtri Profeſſoris illuſt. libens concedo, qui aſſimitam variolarum viri quantitatem, pro diverſorum corporum magnitudine, fere eandem eſſe, admodum probabile ducit.

Quae nonnunquam apparent petechiae, a rubrarum globularum quantitate in membranam celluloſam effuſa, partim a ſanguinis diſſolutione, necnon partim a ſolidorum debilitate et relaxatione, pendent.

IX.

IX. *Prognoſis.*

SI, die poſt variolas inſitas ſecundo, quodammodo cuticula circa cicatricem parvulam contrahi videtur; ſi tertio cutem ſuper circumjacentem eminet, et ſpeciem quaſi urtica tacta refert; ſi rarum fluidum ſero lactis, uti diximus, conſimile, quod parvae veſiculae in caeſurae vertice ſitae ineſt, paullatim ſpiſſa, albida, et ſubflava evadit; ſi, accedente quae eruptioni adeſt febre, minime ſternuntur vires, nullaque ſymptomata febrilia ſunt, et inflammatio colorem floridum conſervat, roſae Damaſcenae haud diſſimilem, nil dubium quin morbus mitis et diſtinctus, unde periculum nullum timendum, futurus ſit.

At contra, ſi nulla cuticulae contractio parvulam circa cicatricem percipi poſſit; ſi inflammatus circulus colorem, non rubrum et floridum, ſed obſcurum, lividum, aut ſubfuſcum refert; ſi die tertio vel quarto caeſura

ſura non ſupra cutem circumjacentem apparet, flaccida autem, ſuiſque cum labiis a ſibi invicem undique ſeparatis, inque imo formatum crudum, indigeſtum, corroſivumque fluidum ; ſiquidem haec ita ſunt, non fruſtra periculum futuri morbi timemus: Plerumque febris generis putridi eſt, et initio, et ſemper poſtea quidem inſigni aegritudine et debilitate, pulſu frequente et debili ſtipata. Una ſecum puſtulae parum levaminis ſymptomatum febrilium aegroto afferre ſolent. Harum, ex maxima parte, magnus numerus eſt et acervatim erumpunt. Semper pronae manent, nec unquam quam in ſe habet materia ſpiſſeſcit. Quo diutius et acerbius ſaeviunt ſymptomata febrilia, eo major puſtularum numerus, ideoque periculoſior extat. Si pueri ante eruptionem factam paroxyſmo uno vel altero epileptico corripiuntur, nil inde periculi timendum: Hi autem, ſi ſaepe et acerbe evertunt, certe periculoſiſſimi habendi.

Tamen

Tamen variolae inſitae has ullas ſpecies perraro aſſumunt, ſed plerumque adeo ſunt mites, ut pueros vix unquam ab uſitato ludo inhibent.

X. *Ratio Medendi.*

VARIOLÆ hac arte ab uno in alterum tranſlatae totum per curſum adeo mites eſſe ſolent, ut opis medicae rariſſime aegrotus indiget: Interdum tamen ea ut plurimum opus eſt.

Quo violentior quae eruptioni adeſt febris, eo, uti nunquam non obſervatum fuit, numerus puſtularum major, omneque futuri morbi ſymptoma magis ingraveſcit. Igitur primum medendi conſilium erit, quantum poſſit, ſupprimere ante febrem, vel tollere quicquid ad eam augendam ſpectare videatur, vel ſymptomata, ſiquidem adſunt, urgentia levare.

Quoniam haec variolarum febris plerumque inflammatoria eſt, quod diatheſin phlogiſticam efficere vel augere valeat, id vim ſine dubio omni ſymptomati addit. Quam ob cauſam, quo haec tempeſtive occurratur, aegroto ſtatim poſt variolas inſitas regimen antiphlogiſticum ſit, omni ſimul animali victu et juſculis in quibus coquitur abſtinenti. Caſeus, butyrum, olea, vel denique quicquid haec non parum continet, ea caute vitanda: Concoctione enim difficilia ſunt, et, ſi diu in ventriculo manſerint, rancida evadunt, et nauſeam atque vomitum movent; ideoque ſtatum febrilem vel inducant vel praeſentem augeant. Omnia aromata, ut et cibi omne genus, quod aut aegroti ventriculo ingratum, aut cui plane qualitas calefaciens vel ſtimulans ineſt, necnon omnes liquores ſpirituoſi, quippe qui, vi ſtimulante valida, actionem totius generis vaſcularis multum augent, et non ſolum diatheſin phlogiſticam inducunt, ſed ſanguinem quoque ad corporis ſuperficiem propellunt, et inflammationem univerſi corpo-

ris

ris producunt, uti vaſorum cuticularium turgeſcentia, cutis rubedine, magnique caloris per totum corpus ſenſu, ſatis liquet; haec omnia quam longiſſime fugienda. Ad hoc, omnis irritatio, undeunde nata, et externa et interna, ſedulo tolli debet.

Bene notum eſt, ullam inſolitam fluidorum ad corporis ſuperficiem propenſionem puſtularum augere numerum, ita cutem afficiendo, ut ne variolarum virus libere tranſmittatur efficit; et hoc, ut veriſimile videtur, quandam inflammationem producendo; namque ſemper notatum eſt, quod in qua parte cunque tegumenta laeduntur, quamvis etiam leviter, quaſi acicula ducta, ibi quoque, ſi ulla inflammatio ſit, major quam in alia, ubi nulla eſt, puſtularum numerus ſuberit. Inſuper, idem, calore inuſitato cuidam parti admoto, incidere invenimus, etſi diatheſin phlogiſticam tunc corpori in univerſum ineſſe nequidem credere fas ſit.

Ægroti alimentum refrigerans leviſſimum, ut et concoctione facile, et aceſcens, eſſe

debet: Cujus generis quoniam ſunt vegetabilia, iis libere uti licet. Necnon omnes fructus maturi, utpote plerumque refrigerantia, laxantia, et antiſeptica, non parum commodi afferre poſſunt; et, eandem ob cauſam, aqua per ſe frigida, vel acido vitriolico, vel cremore tartari, acidulata, eximia habenda eſt. Nec multo minus pollent aqua ſucco limonum grate acidulata, ſerum lactis butyri, vel cereviſia tenuis.

Alvus ſemper ſoluta leviter laxantibus et refrigerantibus ſaepe exhibitis eſſe debet; et, ſi cur ſuſpicandum quicquid eſt vermes in tubo eſſe alimentario, pauca, pro aegroti aetate viribuſque, grana mercurii dulcis, quae egregium anthelminticum eſt, nocte ſtatim ante diem quo, tempore matutino, laxans capietur, adhibendum eſt.

Poſt febrem quae eruptioni adeſt coeptam, aegroto vidi, ac praeſertim ſi admodum aegrotabat, multum prodeſſe pulverem ex calomaelo et tartaro emetico compoſitum, nec magis, quam levem vomitum ſedemque unam vel alteram moveret, pollens. His

rebus

rebus aegritudo plurimum levari, et perſpiratio libera, quae ad virus variolarum tollendum opem praebet, promoveri ſolet.

Neque, quando adeſt febris interdiu toro incumbere aegrotus perhibeatur, ſed exercitatio illi ſub aperto coelo ſit modica, ſiquidem ſinat tempeſtas: Attamen, ſi non, in amplis aedibus ambulatio in quas, abſente igne, facile immittatur ventus, eidem conſilio accommodatur. Veſtitus dieque noctuque tenuis, levis, ſaepeque mutari debet; nec unquam per morbi omne tempus laxantia, refrigerantia, vel clyſmata negligere fas ſit.

Effectus boni quos edit aër purus et recens, ad hunc morbum mitem reddendum, ut plurimum inſignes ſunt. Contagionis vim maxime diminuit, et, ſi cum exercitatione quadam parva conjungitur, praecipue non aëre humido, perſpirationem liberam et copioſam promovet, quae ſane ad variolarum virus quamprimum natum e corpore expellendum conducit, et ita ne in cute haerens puſtulas formet, efficit. Nec-

non

non quaſi tonicum vires multum reficit, quod e corpore virus vel tollit, ejuſve vim ſuſtinere aptum reddit. Denique, aër refrigerans, quin ipſius aegroti effluvia, una cum variolarum contagione, circa corpus accumulet obſtat, ſed quamprimum exacta tollit: Et hoc certe non momenti levis; enimvero, hujuſmodi accumulatione facta, non tantum creſcit corporis calor, qui omne variolarum ſymptoma aggravat, ſed in corpus et inſpiratione et abſorptione recipitur, et ſic irritationem augere poteſt.

Interdum vero adeo aegroti aegritudine, debilitate, vel quadam cauſa alia, laborant, ut ipſi lecto exſurgere, nedum exercitatione uti, poſſunt. Quando res ita ſe habet, tori ſtragula levia eſſe, ſaepeque mutari debent: Aër refrigerans libere in cubiculum intromittatur, et a cubiculo uno ſubinde in alterum ducantur.

Tantum profecto valet aër recens, una cum exercitatione modica, ut, quamvis aegrotus cum primum toro exſurgit, adeo aegrotat et languidus eſt, ut ipſe ſine auxilio

nequa-

nequaquam ſtare queat, tamen ſi per breve quoddam tempus ſub dio manſerit, non parum omne ſymptoma levatur. Pulſus validus minuſque frequens evadit, hilarior animus, vires denuo ambulationi aptae, etiamque cibi appetitus, redeunt. Caeterum frigoris hujuſce gradus, prout res poſtulant, nunc major nunc minor fit: Etenim, quidam multo quam alii facilius id ferre valent. Si pulſus validus et plenus, atque cutis ſpecie ſolita, manent, aegrotus nil, admoto frigore, periclitatur. Si autem perſentitur rigor, univerſa ſimul corporis ſuperficie pallida et contracta, necnon debili pulſu et vacillante, in locum calidiorem confeſtim ſemet conferre oportet. Nil dubium quidem quin multum utilitati foret, ſi homines ante variolas inſitas frigori, veſtitu quodammodo uſitato exuto, aſſuefacti; namque hac ratione, cum opus eſſet, id melius tolerare poſſent.

Plerumque poſt finitam eruptionem evaneſcit febris, nec denuo redit: Igitur non amplius aegrotum objicere aëri frigido ne-

ceſſe

ceſſe eſt; nil enim prodeſſe, interdum vero, ſuppurationem impediendo, materiaque variolarum efficiendo recedat, injuriae eſſe poteſt. Quo rectius promoveatur ſuppuratio, juſculum in quo coquitur pullus carove vitulina, una cum cyatho vini Luſitani, aqua diluti, uno vel altero, dummodo aegrotus multum debilitatus ſit. Subinde per diem exhibeatur. Ægroti, poſtquam puſtulae ad maturitatem prope pervenerunt, cibi appetitus inſolitus eſt: Quod vero in ventriculo leve maneat, concoctuque facile, id ſolum adminiſtrari ſedulo eſt curandum. Ad priſtinam vivendi rationem caute ac paullatim redire debet; namque, ſi aliter, iterum febrilis fit exacerbatio, recenteſque puſtulae oriuntur. Hoc variolas inſitas tractandi genus plerumque idoneum: Tamen quandoquidem ineptum, et periculoſum fore non diffitendum.

Quibus corpus molle et imbecillum, morbiſve, vel denique qualibet cauſa alia, antea debilitatum, pro hujuſmodi quam memoravimus diaeta, medicamentis purgantibus,

aliiſve

aliiſve evacuantibus, iis diaeta plena et nutriens, vinum Luſitanum generoſum, aliaque tonica, qualis cortex Peruvianus, exhibeantur; quibus rebus corpora validiora, magiſque contagioni recipiendae apta, evadant.

Si febris quae eruptioni adeſt revera inflammatoria eſt, violentiſſimaque ſymptomata, nullis jam memoratis remediis victa, venaeſectio, me judice, quippe quae cito et efficaciter diatheſin phlogiſticam et plethoram amovet, inſigni cum utilitate fiat. Quinetiam, quod ſpaſmum cunque in vaſis cuticularibus formatum, tenſionem et rigiditatem fibrarum muſcularium ſolvit, et ita virus variolarum corpore liberius exeat efficit.

At ſi febris generis typhodis ſit, multum in putreſcentiam proclivitatis indicans, antiſeptica copioſe admodum adhibenda, qualis cortex Peruvianus, acidum vitriolicum, vinum Luſitanum, fructuſque ſubacidi. Cortex ſemper ſubſtantia adhibitus prae-

ſtantior eſt, et, in pulverem tenuiſſimum redactus, et inde infuſioni extracti glycirrizae admiſtus, commodiſſime pueris dari poteſt.

Si ante eruptionem factam paroxyſmis epilepticis infantes corripiuntur, uti nonnunquam fit, nil ad eos amovendos magis quam opiata largis doſibus exhibita, ſpectat, eam irritationem quam in eo efficit varioli virus minuendo, quaeque paroxyſmorum cauſa eſt. Praeterea, opiata tutiſſime et utiliſſime, quovis morbi ſtadio, vel dolorem levandi, quietemve producendi, gratia, adminiſtrentur.

Interdum eruptio, vulgo *raſh* dicta, eodem ac eruptio variolarum tempore ſe oſtendit; plerumque autem nec diuturna nec periculoſa, et vix unquam ullum remedium poſtulat. Hoc ſolum notandum, quod, manente eo, frigori aegrotus quam minime objiciendus, ne nimis repente recedendo ſymptomata infauſta producat.

Petechiae,

Petechiae, ſiquando occurrunt, debilitatem corporis inſignem et fluidorum putreſcentiam indicant. Itaque copioſe adhibenda ſunt antiſeptica, aërque purus aegroti in cubiculum, ſaepe mutatis lectus ſtragulis, intromittatur.

Nonnulli caſus, etſi quidem rari, in quibus puſtulae, poſtquam ad certum ſtadium perventum eſt, amiſſo colore florido, obſcurum et ſubfuſcum aſſumunt, ſubito collabuntur, contrahuntur, et magnopere pruriunt. Haec ſymptomata maximum periculum intentant, ideoque ope praeſente egent. Quocirca confeſtim ad remedia ſtimulantia, quibus vis vitae exſuſcitetur, viruſque quod receſſit expellatur, decurrendum.

Hoc conſilio *veſicatoria* iterum iterumque, corpori diverſis in partibus admota, plerumque utplurimum ſunt laudata, et certe multum proſunt; non ſolum enim vi ſtimulante corpus excitant, ſed egreſſum quoque variolarum materiae parant.

Balneum

Balneum calidum ad corporis ſuperficiem multum propenſionis facit, univerſum corpus, praeſertim vaſa cuticularia, relaxando atque ſtimulando, ſaepeque puſtulas depreſſas materia plenas et turgidas reddendo, ideoque, rebus ita ſeſe habentibus, ſummi momenti eſt.

Opiata, vel ore, vel ſub forma clyſmatis, adhibita, non hic ſilentio praetereunda; non ſolum quia ad corporis ſuperficiem determinant, ſed pruritum vexantem levant, quietemque producunt, quae aegroto debili laſſoque haud momenti levis eſt.

Tonica etiam et antiſeptica, antehac collaudata, quam libere poſſit, ad vires fulciendas, et putreſcentiam, quae plerumque inſignis, occurrendam, adminiſtranda.

Haec pleraque ſunt ſymptomata anomala, quae plerumque in variolis inſitivis occurrunt, eorumque multa quidem adeo raro, ut ea fere ſilentio praetermittere licuerit.

HANCCE

HANCCE diſſertatiunculam jam ad finem perduxi: Attamen quam imperfecta eſt haudquaquam ignarus, vos, Profeſſores doctiſſimi, cari amici, et vos quoque condiſcipuli, oro et obteſtor, in memoriam vocetis hoc opus eſſe juvenile, et leni manu corrigatis.

Quid praecipue de vobis dicam, Profeſſores eximii, quorum et publice praelectiones, privatimque colloquium, tantam utilemque artis medicae ſcientiam praebent? Grates quam maximas, quas effundit animus non fucatus, accipite. Seri in coelum redeatis, quantumque veſtri proſunt labores vobis quamplurima ſint documenta. In ultimas oras orbis doctrina ſimul et fama veſtra diffundantur; et certe ingratus damnarer, ſi multa beneficia, quae tu, ante alios, Monroie clariſſime, cujus ingenii laudes nunquam non memorare juvabit, mihi contuliſti, ſilentio praetermitterem. VALETE.

F I N I S.

CORRIGENDA.

Pag. 6. Lin. 11. *pro* et confluentes *lege* aut confluentes.
7. 1. *pro* Hici dem *lege* Hic idem.
21. 19. *pro* commiſceantur *lege* commiſceatur.
30. 30. *pro* aſſimitam *lege* aſſimilatam.